

Nf. 24.

PROGRAMMA SACRUM,

270

ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ

PRO-RECTOR ac DIRECTOR,

JUSTUS HENNINGIUS

BOEHMERUS,

REG. MAJ. CONSILIARIUS INTIMUS, ORDINIS ICTORUM
PRÆSES VICARIUS, ET JURIIUM PROFESSOR ORDINARIUS,

UNA, CUM

CANCELLARIO ET PROFESSORIBUS

RELIQUIS,

CIVIBUS ACADEMICIS

DIGNAM

FESTI SALUTIFERÆ
NATIVITATIS

CELEBRATIONEM,

PRÆMISSA DISSERTATIUNCULA

DE

SCEPTRO A JUDA DEMUM POST CHRISTUM NATUM
PER URBIS ET TEMPLI DEVASTATIONEM SUBLATO,

COMMENDAT.

ca.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS HENDELIANIS.



PROGRAMMA SACRUM

ACADEMIAE FRIDERICIANAE

PRO-RECTOR AC DIRECTOR

IUSTUS HENNINGIUS

BOEHMERUS

PROFESSOR ORDINIS IURIS
REGII CONSILII



UNA CUM

CANCELLARIO ET PROFESSORIBUS

RECTORIBUS

CIVIBUS ACADEMICIS

DIGNAM

FESTI SALUTIFERAE

NATIVITATIS

CHRISTI

ANNO DOMINI 1770

IN THEATRUM

COMPLETA

IN THEATRUM



Lustris sane & unus e præcipuis totius pentateuchi Mosaici est locus ille de *promisso Messia adventu*, per salutiferam *ἐπαγγελίαν* olim futuro, & nunc jam dudum facto; locus Gen. XLIX, 10. *de sceptro ante ipsius adventum a Juda non auferendo*. Mittamus nunc ea,

quæ comma istud proxime præcedunt & sequuntur; utpote pro sua sensus profunditate longe ampliora, quam quæ hic vel carptim recenseri, nedum digne explicari possint. Missis etiam philologumenis id tantum considerabimus, quod res est, & nuclei instar solidissimi ac suavissimi nobis in litteræ cortice exhibetur. Id quod ut sine hæsitatione agnoscatur, supponimus, tanquam datum, & ab ipsis quidem Judæis, nomine *Schilo* vocari *Messiam*, *sceptri* vero ac *ῥῥῆς*, *legislatoris*, vocibus notari potestatem proprii regiminis politicam & ecclesiasticam, seu *κυρονομίαν* reipublicæ & ecclesiæ Judaicæ, ipsi augustissimæ Theocratix quam aptissime subordinatam.

Jam si quæramus, quinam ponantur characteres, e quibus, tanquam documentis certissimis, de *adventu Messia*, urum is contigerit, nec ne, constare possit? duo exhibentur: unus in *ablata* a populo Judaico *potestate politica & ecclesiastica*, alter in *obsequio* diversarum gentium, prævio universali evangelii præconio, Messia per veram fidem præstito & nunquam non præstando. Qui character posterior quam luculentus sit, tot seculorum annales verissimi jam inde a nato humani generis Salva-

tore quam uberrime recensent, & ipsa experientia continuata serie in hunc usque diem quam certissime declarat. Et quid ex hisce ipsis feriis, quas in religiosam salutiferam nativitatis memoriam universa ecclesia non evangelica solum, sed reliquarum etiam confessionum christiana, longe lateque per terrarum orbem celebrat, evidentius enotescit, quam Messiae religiose subesse tot gentes, ipsique, ut Salvatori, cultum exhibere vere divinum? Et cum, ut logicorum habet canon, opposita juxta se posita magis elucescant, quam certo jam dudum advenerit Messias, ecclesiae christianae amplitudo ac perduratio, nec non fidei ac confessionis constantia comprobant, inprimis comparata cum exigua & brevissima temporis periodo, quam Messiarum aliquot falso creditorum impostura habuit, utpote vel bulla inconstantiori.

Huic autem argumento, quod pro adventu Messiae jam dudum facto a posteriori, seu ab eventu, desumimus, fundamentum a priori substernit itidem historicum praedictio de *sceptro a Juda ita auferendo*, ut ex eo sublato quam certissime constare possit, Messiam jam venisse.

Sceptrum per Romanos a gente Judaica fuisse ablatum, nemo nescit: quo autem temporis articulo publica illa & ingens catastrophe contigerit, non eadem omnium est sententia. Quod si interpretes consulamus, eam a plerisque relata deprehendimus ad tempora, quae Salvatoris nativitatem jam antecesserunt; ea scilicet, quibus suprema reipublicae judicae potestas a Romanis limitata ac circumcisa fuit opera Pompeji, viginti circiter annis ante dynastiam, familiae Herodianae in Judaeos ab illis collatam.

Verum enim vero haec sententia non una laborat difficultate: & primum quidem historica illa, qua *potestatis politicae diminutio* pro ejus privatione habetur, nec consideratur, quantum auctoritatis potestatisque fastigium non solum regiae Herodum dignitati, sed etiam sy-
nedrio

nedrio magno a Romanis sit relictum; tantum certe, ut de eo sceptri abrogatio dici nequeat. Huc accedit altera illa potestatis Judaicæ pars, quam, in oraculo Jacobæo sub voce *קקמ*, *legislatoris*, insinuatam, gens Hebræa habuit in *ἀντροπολι* ecclesiastica, & usque ad Hierosolymæ & templi excidium sub autoritate synedrii & sacerdotii Levitici adeo sartam rectamque retinuit, ut Romani ne aufi quidem fuerint eam ulla sui parte diminueri; tantum abest, ut abstulerint: eam autem una cum potestate politica ablatum iri, hoc ipsum est, quod expressa oraculi recte intellecti littera habet. Utramque hanc difficultatem non parum auget tertia, quam nobis christianis e-lenchus antejudaicus objicit. Etenim si Judæis concesserimus, potestatem civilem & ecclesiasticam a gente Judaica jam ante natum Messiam esse ablatam, & prædictum esse, eam ante ejus nativitatem ablatum iri; ipsis subministramus objectionem speciosam, qua negare possunt, Jesum Nazarenum esse verum Messiam, causati, gentem Judaicam potestate sua legislatoria, in republica & ecclesia, demum per urbis ac templi destructionem suique dispersionem, qua res publica suismet legibus regi desierit, fuisse exutam; atque ita Messiam, cujus adventus istam catastrophem præcessisse dicatur, non fuisse genuinum illum a Deo per vaticinium Jacobi promissum. Quod si obvertat Judæus, Christianus, quo hujus argumenti vim elidat, omne fere præsidium quærere cogitur in nimia exaggeratione illius limitationis, quam potestas politica sub Romanis subiit, *ἀντροπολι* vero ecclesiasticam ab ipsis diminutam fuisse, ne affirmare quidem, nedum demonstrare potest adversus Judæum.

Anticipata vero opinio, de sceptro jam tum ante Christum natum a Judaica gente ablato, in quantum diminutionis, quam res publica Judaica in potestate sua experta sit, gradum procedat, vel inde notum est, quod eidem etiam jus gladii, seu supplicii capitalis, in ejusdem reos ab-


judicet. Cui sententiæ quantopere fides rerum Judaicarum historica obstet, quis, si recte consideret, non animadvertit? scilicet si perpendat potestatem regiæ Herodum familiæ fuisse summam & synedrii magni permagnam, salva Romanorum *υπεροχῆ*. Quod si Herodes primus cum successoribus suis gladii jus ac usum non retinuit, unde tantus ejus exitit abusus, quem Josephus ad stuporem usque lectoribus describit, & quem Matthæus evangelista in narrata infantum Bethlehemiticorum cæde horrenda, nec non Lucas in cæde Apostoli Jacobi senioris, ab Herode Agrippa imperata, & Petro etiam intentata, confirmant? Act. XII, 1-3. Quid? quod idem Herodes teste ibidem v. 19. 20. Luca, adversus Tyrios & Sidonios parabat bellum, idque ipsis intulisset, nisi opera Blasti pacem demisse ex-
perentibus fuisset reconciliatus. Et quanta sub Romanis etiam supremi senatus, seu synedrii, permanserit potestas, quis non observat e causa Christi & Apostolorum, coram isto dijudicata, nec non e potestate, quam Saulo, tanquam hæreticæ pravitatis inquisitori summo, summam Et hanc ipsam ad necem usque fuisse extensam, confitentem habemus ipsum Apostolum Act. XXVI, 10. 11. 12. Et nonne sacerdotum princeps, Ananias, synedrii præses, coram Felice procuratore Romano, interprete Tertullo, fatebatur, Paulo ultimum supplicium secundum *εὐνομιῶν* Judaicam fuisse decretum, at a Lysia, præfecto militum Romano, interceptum? Act. XXIV, 6. 7. Et nonne ipse Pilatus, agnita ista Judaicæ gentis potestate & *εὐνομίᾳ*, ad capitale supplicium extensa, causam Christi a se amoliturus Judæis dicebat: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram condemnate eum.* Joh. XVIII, 31. Hisce vero argumentorum ponderibus nihil obstat, nisi frivola ista Judæorum responsio, Pilato data: *Non licet nobis interficere quemquam*, scilicet criminis læsæ Cæsareæ majestatis reum, atque ita etiam ipsius Cæsaris judicio relinquendum. Quod

Quod crimen Christo ideo impingebant, ut furorem suum, cui plebs Christi causæ faventior obstabat, tandem per potestatem Romanam, sic quasi extortam, satiarent.

Quæ cum ira sint, manifestum est, sensum istum, quo sceptrum cum *δευρονομία* jam ante natum Salvatorem a gente Judaica ablatum esse statuitur, in interpretatione oraculi Jacobæi non esse genuinum; verum autem esse eum, quo utriusque privatio ad urbis & templi vastationem, ac gentis Judaicæ dispersionem, tanquam proximus ejus eventus, refertur. Et hoc est, quod ipsa grammatica verborum structura consideranti statim exhibet: *Non recedet sceptrum a Jebuda, nec legislator e medio pedum ejus* (secundum Hebraismum, h. e. legislator gente Judæus natus) *usque dum venerit Schilo & ipsi obedientia populorum* (fuerit addicta.) Es wird das Scepter von Juda nicht entwendet werden, noch wird es an einem gebornen Jüdischen Gesetzgeber fehlen, bis der Schiloh (der Messias) wird gekommen seyn, und dem werden die Völker (im Glauben) anhangen. Qui sensus nativa se simplicitate non minus commendat, quam si quis dixerit, ægrotum non moriturum esse, usque dum advenerit medicus & ipsi medicinam sine restitutionis effectu adplicuerit. Ubi significari, adventum medici mortem ægrotantis non sequi, sed præcedere, quilibet observat. Stante autem hoc hujus oraculi sensu *usus* ejusdem *antijudaicus* est evidentissimus, scilicet potestatis politicæ & ecclesiasticæ, qualem *δευρονομία* Mosæica dabat, privationem, jam per tot secula continuatam, argumentum esse certissimum de adventu Messicæ paulo ante eam jam dudum facto.

Hiscæ præmissis, CIVES omnium ordinum florentissimi, accedimus ad præcipuum scripti hujus publici scopum, qui ad dignam feriarum, Salvatoris olim nati memoriæ consecratarum, celebrationem tendit. Quid nobis ipsum divinissimum Jacobi oraculum ratione

ne debitæ adplicationis commendet, meditantibus statim est obvium. Salvator noster optimus maximus dicitur SCHILOH a *pax*, quam is, inimicitia, quæ e peccati reatu resultabat, & nos a Deo ejusque communionem disjungebat, per interpositum lytrum sublata, generi humano restituit, Eph. II, 15. 16. Col. I, 20. ideo *pacis princeps* dictus Jes. IX, 6. & hoc nomine a cœlesti natiuitatis præcone angelo publica doxologia celebratus Luc. II, 14. Quemadmodum vero iusta Messiani nominis, SCHILOH, emphasis ista ratione in CHRISTO salutaris *fundamentum* nobis cõmonstrat: sic idem vaticinium nobis non minus ejusdem *ordinem*, sine quo salutaris ejus adplicationio locum habet nullum, concinne admodum, etsi quam brevissime, insinuat, dum obedientiam requirit, *obedientiam* uti fidei, sic totius vitæ. Fidei *impor- tion*, obedientia, apostolici muneris scopus Rom. I, 6. XV, 18. quid sit, vel solum Romanorum, qui ad eam per evangelii præconium adducti dicuntur c. VI, 17. exemplum nos docere potest. Hi enim vocanti gratiæ ita gesserant morem, ut doctrinæ evangelicæ formam, efficacissima mentis suæ transformatione admissa, in se ad vivum exprimendam curassent, & hac ratione evangelii typum, seu hypotyposin, uti mente coram Deo, ita etiam ipsa vita ad eam conformata, ad aliorum excitationem expressissent, c. I, 8. obedientia vitæ fidei obedientiæ sic quam exactissime respondente. Habemus itaque, CIVES CARISSIMI, quos & quod imitemur utpote a CHRISTO, pacis auctore, ad dignam ejus adplicationem jam dudum vocati, & in ipsis hinc feriis natalitiis etiam publica fidelissimorum præconum voce, qua acroateria sacra resonabunt, denovo, utinam quam plurimo cum fructu, invitandi. P. P. Halæ die
XXXV. Dec. A. MDCCXXXII.



Ja 1586

ULB Halle

3


001 508 687




St

V17







90

PROGRAMMA SACRUM,
270
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
PRO-RECTOR AC DIRECTOR,
**JUSTUS HENNINGIUS
BOEHMERUS,**
REG. MAJ. CONSILIARIUS INTIMUS, ORDINIS ICTORUM
PRÆSES VICARIUS, ET JURIIUM PROFESSOR ORDINARIUS,
UNA CUM
CANCELLARIO ET PROFESSORIBUS
RELIQUIS,
CIVIBUS ACADEMICIS
DIGNAM
**FESTI SALUTIFERÆ
NATIVITATIS**
CELEBRATIONEM,
ca.
PRÆMISSA DISSERTATIUNCULA
DE
SCEPTRO A JUDA DEMUM POST CHRISTUM NATUM
PER URBIS ET TEMPLI DEVASTATIONEM SUBLATO,
COMMENDAT.
HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS HENDELIANIS.

